

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXX. Parabola Vinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCLXXX

Parabola Vineæ.

Matth. 20. v. 1.

PUNCTUM I. *Simile est Regnum Cælorum (id est, Regni Cælorum) homini Patrifamilias, qui exiit p[ro]mō manē conducere Operarios in Vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidi[er]at alios stantes in foro otiosos: O dixit illis: Ite & vos in Vineam meam, & quod iustum fut-
rit, dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiiter. Circa un-
decimam vero exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis:
*Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos con-
duxit. Dicit illis: Ite & vos in Vineam meam. Considera
per istam diversam horam, quā Deus vocat Opera-
rios in Vineam suam, designari i. variam ætatem hu-
jus Mundi, quæ fluxit à tempore Adami usque ad Noë
deinde horā tertiā, à Noë ad Abraham: postea horā
sextā, ab Abraham ad Moysen: posthæc horā nonā, à
Moysie ad Christum: denique horā undecimā, à Chri-
sto ad finem Mundi. Quo tempore licet vita huma-
na adeò brevis sit, ut comparatione priorum æta-
tum sit velut una hora respectu diei (quia prius ho-
mines aliquot sæculis vitam protraxerunt, ut patet
ex Gen. c. 5.) tamen habet efficacissima Media, tan-
tum Gratiæ & Gloriæ in Cælo sibi comparandi, per
opera longè præstantiora, Doctrinæ & Exemplis Chri-
sti conformia, per Sacra menta novæ Ecclesiæ, & Sa-
crafficiū ejusdem, quantum sibi compararunt, qui
nongentis & amplius annis vixerunt. Gaude, & gra-**

tias age DEO , quòd ultima hac ætate Mundi vocatus sis : & brevitatem Servitij Divini , laboris intensione compensa , ut consummatus in brevi expleas tempora multa . Sap . 4 . v . 13 .

PUNCT. II. Considera , per prædictam horæ di versitatem 2. denotari diversam ætatem humanam , scilicet pueritiam , adolescentiam , juvenilem , virilem , & senilem ætatem , quâ homines DEO in Ecclesia , vel in Religione servire cæperunt , tempore præterito stantes otiosi . Dole itaque de jactura temporis præteriti , & fervore novo supple præcedens otium , haud excusabile ex eo , quòd nemo te conduxit : nec admitte , ut à junioribus supereris . Cogita denique tempus vitæ reliquum ultimam horam esse . Ideo S. Joannes Epist . 1. c . 2. v . 18. scribit : *Filioli , novissima hora est .*

PUNCT. III. Considera , prædicta horarum di versitate 3. etiam cujusque diei intervalla distingui : unde quoties nova hora insonuit , cogita , te à DEO vocari ad operam ; & ita quamvis horam impende , quasi ea ultima esset futura . Si enim unica hora potuit compensare præcedentium horarum remissio nem , & languorem , quantum merebuntur multæ horæ ferventer peractæ ?

MEDITATIO CCCLXXXI.

Continuatio Ejusdem Parabolæ.

Matth. 20.

PUNCTUM I. Cùm serò autem factum esset , dicit Dóminus Vineæ Procuratori suo : *Voca Operarios , & redde illis*